peccatum agendo in humanitatem xp̄i ĩ ꝓpria
ſpecie q̈ ĩ aliena. qꝛ hoc eſt ꝯtẽptibiliꝰ ⁊ horri
biliꝰ. Aliť exponit Alanꝰ. indigne ſumẽs cor=
pus punieť ac ſi xp̄m occidiſſet. ſꝫ nõ tm̄. Sed
q̄ſi imitatiõe occidẽtiũ xp̄m. Alio mõ ſumiť in
dignitas ex ꝑte ſumẽtis ex ꝑte deuotiõis vtpu=
ta diſtracte mediante occupatione temporali
um et accedit ad hoc ſacramẽtũ. habitualiter
tamen retinet debitam reuerentiam. Et talis

indignitas non facit ſumentē reum corporis ⁊
ſanguinis dn̄i impedit tm̄ fructum ſaltē in pte.
Si tamen talis defectus deuotionis tm̄ dura-
ret ꝙ non doleret de tali diſtractione et occu-
patione tpalium grauiter peccaret et indigne
ſumeret eucharistie ſacramentuꝫ. Ex iā dictis
P colligūtur tria ſigna per que ſacerdos pōt ſci-
re ſi indigne celebrat et vnuſquiſqꝫ ſi indigne
manducat. Primum ſi non curat ꝯſuetudineꝫ
circa hoc ſacramentuꝫ obſeruare vt de officio
miſſe vel circa horas canonicas prius dicen-
das. Secundū ſi ſacerdos in peccato vel volū
tate peccādi preſumit celebrare. De quo dicit
magiſter in glo. j. Cor. xj. Judicium ſibi man-
ducat et bibit qui in voluntate peccandi pma-
net ⁊ in crimine eſt volens. Sed dicunt aliqui
ſacerdotes et etiam alij ꝙ exiſtentes in pecca-
to poſſint licite accedere ad hoc ſacramentū ⁊
mouent̄ ex tribus. Primo ex eo ꝙ illud ſacra-
mentum ē ſpiritualis medicina. ergo exiſtētes
in peccato mortali debent ad illud ſacramen-
tum accedere ſicut infirmus ad medicinā. Se-
cundo mouent̄ ex dicto beati Ambro. in li. de
ſacra. et ponit̄ de ꝯſe. di. ij. Non iſte eſt vbi di-
cit. Iſte panis quotidianus ē accipe quotidie
quod tibi quotidie prodeſt. vbi beatꝰ Ambro.
nullum excipit. Tertio oſtendūt per illō Joh.
vj. Qui mādücat me ipſe viuet propter me. Et
arguunt ſic. Peccatores licite tangebant cor-
pus chriſti ī propria forma et ſecuti ſunt veni-
am maloruꝫ. vt Luc. vij. de peccatrice Maria
Et Marc. vj. dicitur. Quicunqꝫ tetigerint fim-
briam veſtimēti eiꝰ ſalui facti ſunt. igitur qui-
libet peccator poteſt licite tangere corpus xpi
ſiue ſumere in ſacramēto vt veniam peccatoꝝ
conſequatur. ad illa faciliter rn̄detur. Ad pri-
mum ꝙ lꝫ illud ſacramentum ſit ſpūalis medi-
cina. tm̄ non ꝓdeſt niſi viuis vita gratie. Mor-
tuis vō. id eſt. ī peccatꝭ mortalibꝰ exiſtentibus
non ꝓdeſt. et hoc volunt Ambro. ⁊ Augꝰ. Si-
cut alimentū corpale non ꝓdeſt mortuis ſꝫ ſo-
lūmodo viuis. Sic illud vitale ſacramentuꝫ ⁊
ſpūale alimentum non ꝓdeſt mortuis peccato
mortali. ſed ſolū viuis vita grē ⁊ infirmis mor-
bo peccati venialis. Ad ſcōꝫ dr̄ ꝙ beatꝰ Am-
bro. vult dicere ꝙ ille ē panis quotidianꝰ ⁊ il-
le meret̄ panē illuꝫ quotidie accipe ſeu ſumere
q̄ viuit vita grē et hꝫ vitā imaculatā. ideo dicit
ſic. Viue bn̄ quotidie vt quotidie merearis ac-
cipere. Ad tertiū dr̄. ꝙ ſaluator illud dictum ī-
telligit de digne manducantibꝰ q̄ ſine peccato
mortali accedūt ad illud ineffabile ſacramētū
q̄ eni cū peccato mortali accedunt iudiciū ſibi
ſumunt. Ad rationē dr̄ ꝙ non ē ſimile d̄ tactu
corpis xpi in ꝓpria ſpecie et ſumptione corpo-
ris in ſacramēto. Quia corpꝰ xpi ī ſacramēto
ſumitur in ſignum ſpūalis vnionis cum xpo in
ꝓpria ſpecie. ideo exhibuit ſe peccatoribꝰ tan-
gendū ī ꝓpria ſpecie. ⁊ ideo ex hoc nō ꝯtrahe-
bāt crimē. Sꝫ ꝯſequebant̄ aie ſanitatē. vl̄ pōt
dicere ꝙ xp̄s in ꝓpria ſpecie gerebat ſilitudi-
nem carnis peccati. ideo ꝯuenient̄er ſe exhibuit
peccatoribꝰ tāgendum. Sic remota ſilitudine
carnis p gloriā reſurrectiōis ſe tāgi ꝓhibuit a
muliere q̄ defectuꝫ fidei circa ipm patiebatur.
Joh. xx. Noli me tāgere. n̄ eni aſcēdi ad patrē
meū. glo. in corde tuo. vt exponit Augꝰ. et tm̄
poſtea miſit ſe tangi ab ea cum reſurrectioneꝫ
credidit. Sic niſi formata fide nemo pōt lici-
te ⁊ laudabiliter accedere ad corpis xpi ſacra-
mentum. Tertium ſignuꝫ eſt ſi nō curat ꝯſciaꝫ
ſuam diligenter examinare. Si eni aliqs defe-
ctum deuotionis in ſeipſo repiret propter mē-
tis diſtractionē quā patitur ex diſtractione tē-
poralium debet diligēter examinare ꝯſciētiaꝫ
ſuā an de illa diſtractione qua impeditur in de-
uotione ſua doleat vel non. Si repit ſe dolere
de tali lꝫ ſit indignus tamē nō indigne accedit
ad illud ſacramentū. Si non repit ſe dolere de
tali defectu deuotionis non ſolum eſt indignꝰ
accedere. ſꝫ indigne accedit. Siliter debet ex-
aminare ꝯſcientiā ſuā an ſit in aliquo peccato
mortali. Et ſi nō inueniat ſe fore in aliquo pec-
cato mortali timere ſe tm̄ debet fore in aliquo
peccato. quia poteſt in eo eſſe aliqd̄ occultum
peccatū ſuper quo eum ꝯſcientia non accuſat.
quia pia mentiū eſt culpā timere vbi culpam
nō habēt. vt dicit Greg. di. v. c. Ad eius. Et ſi
tunc accedit ad ſacramentū q̄uis accedat cuꝫ
aliquo defectu deuotionis et indignus non ta-
men accedit indigne. Quia dic̄ doctor Alanꝰ
in glo. j. Cor. xj. Aliud eſt indignus accedere
et aliud eſt indigne. vnde poteſt bene eſſe ꝙ ali-
quis indignus accedit et ſumat non tamen ex
hoc peccabit. Sed quicunqꝫ indigne accedit
peccat. hec ille. Tertio quidam accipiunt aut
manducant hoc ſacramentum ſpiritualiter et
ſacramentaliter. vt qui accipiunt rem et ſacra-
mentum vt cōmunicantes in gratia et in illis
pene omnia miracula que chriſtus ī mundo fe-
cit corporaliter hoc corpus chriſti facit ſpiri-
tualiter. Primum miraculum ꝙ ſic̄ chriſtus ī Q
mundo de virgine natus eſt. Sic euchariſtia
digne ſumpta facit nos naſci ex deo ſpiritua-
liter. Juxta illud Joh. j. Quotquot autem re-
ceperunt eum dedit eis poteſtatem filios dei
fieri. Et beatus Johannes in prima cano. c. ij.
Scitote quia omnis qui facit iuſticiam ex deo
natus ē. Et Origenes. Sicut inqt ſplēdor na-
ſcit̄ ex ſole. Sic iuſtꝰ p ſinglꝫa opa bona ex deo

naſcitur. Nam natiuitas ſpũalis felicior eſt natiuitate chriſti. quia corpus naſcentis ſeparabatur a corpore genitricis. Sed in natiuitate noſtra ſpirituali manemus in deo et deus ĩ nobis. ſicut dicunt verba themati. In me manet et ego in eo. quia ſm ſanctum Tho. in. iiij. diſ. xij. Proprius effectus euchariſtie eſt conuerſio hominis in deum. ideo dicit Auguſtin⁹ de verbis euangelij. Quid eſt chriſtum manducare non eſt hoc ſoluz in ſacramento eius corp⁹ accipere: multi enĩ accipiunt indigne. glo. qui non ſunt in corpore chriſti myſtico ſed in ipſo manere. ſ. per gratiã et charitatẽ. et habere ipſum in ſe manentem. Secundum miraculum ſicut chriſtus naſcens matri ſue conſeruauit integritatem. Sic euchariſtia cõſeruat in nob integritatem fidei et v̾tutum. Quia dicit Beda q̄ omne donum celeſtis gratie ſancta attribuitur euchariſtia mediãte. Tertium miraculum q̄ claritas dei circumfulſit paſtores. quia dicitur Luc. ij. q̄ impleti ſunt dies Marie vt pareret et peperit filium ſuum p̄mogenitum et ſtatim claritas domini circũfulſit paſtores. Sic poſtq̄ chriſtus naſcitur ſpiritualiter in corde hominis per condignam ſumptionem ſtatim lumen gratie et intelligentie animaz circumfulget. et omnes vires anime vt rationalis acutior claret ad bonũ eligendum et malum reprobãdum. Iuxta illud Eſa. vij. Mel comedet vt ſciat reprobare malum et eligere bonum. Ubi per mel intelligitur chriſtus. qui ſm Bern. eſt mel in ore et melos in aure. Item concupiſcibilis fit feruentior ad bonuz deſiderandũ. iraſcibilis diſcretior et fortior ad malum deteſtãdum. In cuius figura legitur. j. Reg. xiiij. Q̄ Ionathas quaſi tota die contra Philiſteos pugnaſſet fere pre laſſitudine non videbat. extenditq̄ ſummitatẽ virge quam in manu tenebat et extinxit in fauum mellis et conuertit manum ſuam ad os ſuum comeditq̄ et illuminati ſunt oculi eius. Per Ionathã qui interp̄tatur columba pulchra ĩtellige animam deo dilectã que ex penitentia fit candida et pulchra vt dicat ſibi chriſt⁹. Tota pulchra es amica mea et macula nõ eſt ĩ te. ſcilz mortalis culpe. Cant. iiij. Hec pugnat contra Philiſteos qui interp̄tantur cadentes et ſignificant demones qui de celo ceciderunt. Eſa. xiiij. et Luc. x. et hec pugna durat vſq̄ ad veſperam. id eſt. vſq̄ ad mortem. in qua quidez pugna anima laſſatur. ideo recurrere debet ad refectionis ſacramentum dulce ſuper mel et fauum. tunc illuminantur oculi eius vt poſſit intelligere aſtutias diaboli et demonũ et eis viriliter reluctari. Quartum q̄ angeli nato chriſto ſunt ad laudandum

deum excitati. et ad referendum gratiarum actiones. quia ſubito facta eſt cum angelo multitudo militie celeſtis laudantium et dicentium. Gloria ĩ excelſis deo. Luc. ij. Sic quilibet homo poſt ſumptionez corporis chriſti. debet ad gratiarum actiones excitari. Iuxta illud pſ. xxj. Edent pauperes et ſaturabuntur et laudabunt dominum. quaſi diceret. humiles et contemptores mundi edere hoc ſacramentum ſunt digni. in quo oſtendit quales eſſe debeant vt ad menſaz chriſti accedere preſumãt. videlicet humiles. et mundi contemptores chriſtũ regem ſuper omnia diligentes. et omnes affectus ſuos in ipſum ordinantes. ita vt nihil curent et cupiant. nihil habere deſiderant preter ipſum vel in ordine ad ipſum. Quintum miraculum q̄ ſtella perduxit tres magos ad preſepe domini. qui tria munera. aurum. thus. et mirrham offerebant ei. Matth. ij. Per ſtellam intelligitur chriſtus. quia ipſe eſt ſtella matutina que dabitur. vt dicitur Apoca. iij. et hec ſtella chriſtus cum accipitur in ſancta euchariſtia adducit homini tres virtutes. ſcilz mundiciã cordis. ſapientiam oris. et induſtriam orationis. Mũdiciã cordis offert aurum charitatis. dicens cum pſ. xvij. Diligam te domine fortitudo mea. Sapientia oris offert thus deuote orationis. Iuxta illud pſ. cxl. Dirigatur domine oratio mea etc. Sed induſtria operationis offert caſtigationez corporis dicens cum Paulo. Caſtigo corpus meuz et in ſeruitutem iterum redigo. j. Cori. ix. Sextum miraculum q̄ chriſtus conuertit aquam in vinũ in nuptijs. Ioh. ij. Sic chriſtus in nuptijs ſpiritualibus quando per ſumptionez ſui ſanctiſſimi ſacramenti anime vnitur. deuote conuertit aquam tribulationis in vinum dulcedinnis et maxime conſolationis. Quia dicit Bernardus in epiſtola ad cartu. q̄ nunq̄ maius in tota vita ſua gaudium et refrigerium expertus fuit. q̄ cum in ſumptione corporis et ſanguinis chriſti feliciter deguſtauit. Septimum miraculum q̄ chriſtus in mari ſedauit ventos Matthei. viij. Marc. iiij. Luce. viij. Sic corpus chriſti in corde hominis, quod ẽ quaſi mare feruens quod quieſcere non poteſt. Eſa. lvij. Sedat quattuor ventos principales vitiorum ſcilicet ſuperbie. auaricie. gule. et luxurie. Si enĩ cõſiderat homo q̄ immenſus deus vniuit ſe humanitati humili formam ſerui accipiens. ad Phil. ij. et dignatur ſub forma panis modica latere immenſus deus vt in cruce pepẽdit per ſuperbiam certe eum dilatari pudebit. Si cõſiderat eius ĩmenſa largitatis beneficia populo xp̄iano exhibita que ineffabilẽ ei ꝯferunt

dignitatem ſm̃ Auguſ. in hodierno ſer. vicȝ ꝙ
ſe nob̄ totalit̃ ꝯdonauit pctm̃ auaricie ſedabit
Si autē conſiderat ꝙ de virgine mundiſſima
natus eſt. et ꝙ ipſe de mundo pane fit panis
chriſti. abominabilis omnis luxuria fit illi. Si
vero conſiderat ꝙ chriſtus ſeipſum in cibum
tradidit vite eterne. Iuxta illud Ambro. li. de
ſacra. Non eſt iſte panis qui vadit in corpus.
ſed panis vite eterne qui anime nr̃e ſubſtantiā
fulſit. de conſe. diſ. ij. c. Non eſt iſte. tunc vtiqȝ
pudebit ſe ſuper cibum corruptibilem effunde
re indeterminate ꝛ intempate Sicqȝ iſte cibus
regalis chriſti videlicet corp⁹ ſedat hos quat-
U tuor ventos peccatorum. Octauum miraculū
ſicut chriſtus intrans in domum Zachee con-
tulit ei gratiam ſatiſfaciendi et reſtituendi vt
diceret. Ecce dimidium bonorum meorum do
mine do pauperib⁹. ꝛ ſi quid aliquē defrauda.
reddo q̄dru. Luc. xix. Sic eucbariſtia dat pe-
nitenti gratiam ſatiſfaciendi pro peccatis. et
proficiendi de virtute in virtutem. Et ideo. ij.
Reg. vj. dicitur ꝙ dominus benedixit domui
propter arcam in qua erat manna. Arca ē cor
pus chriſti verum. in qua manna diuinitatis ē
occultatum et hoc quidem corpus chriſti ſi in
domo cordis tui fuerit de⁹ pater huic domui
benedixit. et hec benedictio eſt profectus vir-
tutum. Quia dicit Bern̄. ꝙ homo per corpus
xp̄i fit manſuetior ad correptionē. patientior
ad laborē. ardentior ad amorē. ſagatior ad
cautelam. ad obedientiam pronior. ad gratia-
rum actionem deuotior. Nonum miraculum.
ꝙ chriſtus eiecit demones ab obſeſſis. Nam
Matth. viij. legitur ꝙ expulit demones ab ob
ſeſſis qui intrauerunt porcos. Et Matth. ix.
Obtulerunt ei hominem mutum habentē de-
monem. et eiecto demone locutus eſt mutus.
et ſic in multis alijs locis. Sed quid per demo
nes ſpiritualiter niſi peccata? Iux̄ illd̄ Marc.
vlt̃. vbi dominus legit̃ eieciſſe a maria magda
lena ſeptē demonia. Quod exponit Greg⁹ in
omel̃. Quid in ſeptē demonijs niſi vniuerſa vi-
tia deſignantur? hec q̄dem vitia eiecit euchari
ſtia. Iuxta illud Ambro. in li. de offi. Qui mā-
ducat corpus chriſti fiet ei remiſſio peccatoꝝ.
Sed hoc intelligas principaliter de peccatis
venialibus que delentur per hoc ſacramentū
vt dicit ſanctus Tho. in. iiij. diſ. xij. Et ſubdit.
non tñ oportet ꝙ ſemꝑ omnia venialia deleā-
tur. ſed ſm̃ menſurā deuotionis. poſſet tamen
feruor tātus eſſe ꝙ omnia peccata venialia de-
leret. Sed nunq̄d eijcit vel delet mortalia? re-
ſpōdet Tho. vbi ſ. ꝙ non. niſi oblita. ꝛ quoꝝ
q̄s nō habet cōſcientiā. Si aūt q̄s inſtaret per
X hoc ꝙ legit̃ in cōplenda de hoc venerabili ſa-
cramento. Fit ablutio ſcelerum. dicit ꝙ dupli
citer poteſt intelligi. ſcȝ vl̃ ꝙ dr̃ ſic crimina ab
luere impꝛtum ea impedit. vel de his q̄ nō ſunt
in hoīs ꝯſciētia. Nam corpus xp̄i impedit in-
greſſum peccatoꝝ. ꝛ eſt contra temptationes
hoſtiū munimentū. Sicut eni caſtrū munitur
tripliciter. videlȝ victualiū abūdātia. armoꝝ
copia. et militū ꝯſtātia. Sic hoc ſacramentū
dat aīe triplex munimētū. Dat eni victus abū
dantiā. ſicut optat dauid. pſ̄. cxxi. Fiat pax in
v̄. t. ꝛ abū. in tur. tuis. Dat armoꝝ copiam. ꝑ
arma itellige v̄tutes que āminiſtrat vt patuit.
Dat inſuꝑ militū cuſtodiam. et hi milites ſunt
angeli q̄ poſt cōmunionē cuſtodiunt hoīes ne
tam cito labāt̃ in peccata. Sȝ. d. a. quō debeo
me habere vt poſſim hoc ſacramētū digne ſu-
mere? Ad hoc dicūt doc. ꝙ hō debet ſpūaliter
facere ꝙ fecerunt iudei corpaliter. Primo eni
iudei anteꝙ venerūt ad māna exierūt egyptū
Egypt⁹ tenebre interp̄tat̃ ꝛ ſignificat tenebras
vitioꝝ. q̄s debet p̄us homo exire q̄ vult digne
hoc ſacramētū ſumere ꝛ comedere. Naȝ dicūt
naturales in tenebris oīs cibus comeſt⁹ gene
rat melancoliā q̄ corp⁹ corrumpit. Sic ꝛ iſte ci
bus ſanct⁹ generat mētis corruptionē ſi fuerit
in tenebris vitioꝝ comeſtus. Exi ḡ a tenebris
ꝛ pulchritudo cibi ꝛ color dabit tibi virtutē.
Secūdo filij intrauerūt mare rubrum. quid ꝑ
mare niſi penitētia q̄ videt̃ quaſi amara? hanc
debent intrare qui volunt eucbariſtiam mādu
care. Et recte penitentia mare rubrū dr̃ ꝓpter
amaritudinem cōtritionis. et ꝓpter liquorem
effuſionis in lachrymis in q̄bus homo vt filij
iſrael de nouo baptizatur et renouatur in xp̄o
Tertio penitentia dr̃ mare propter ꝓfundita-
tem diabolice ſubmerſionis. Quia ſicut Pha-
rao cū ſuo exercitu ſubmerſi fuerunt ī mare ru
bro. ita diabolus cum omnibus pompis ſuis
ſubmergitur in penitentie exercitio ꝛ mens aſ-
ſecurat̃ de celeſti regno. In cuius ꝓceſſu gra-
tia p̄cedit in die ꝓſperitatis. ꝑ nubem refrige-
rationis ꝛ in nocte aduerſitatis. ꝑ columnam
ignis diuine dilectiōis. ꝛ omnes reges aduer-
ſantes ꝯuertit in fugam. Tertio debet ꝯtēnere
omne terrenum. ꝛ cum filijs iſrael intrare de-
ſertum. Quia dicit Caſſianus li. collationum
Impoſſibile quippe eſt eum qui facultatib⁹ in-
nitur huius ſeculi in his que dei ſunt aliquali-
ter delectari. ꝛ quia tria ſunt per que homo ſo
let alligari mūdo. ſcilicȝ amor poſſeſſionis. vo
luptas carnis. ꝛ cupiditas honoris. Iux̄ illud
j. Ioh. ij. Omne qd̄ ē in mūdo aut ē ꝯcupiſcē-
tia carnis. aut ꝯcupiſcētia oculoꝝ. aut ſuꝑbia
vite. ꝓpt̄ qd̄ ad hec deſerenda dixit moyſes fi-
lijs iſrl̄. Ibimus viā trium dieꝝ ꝑ ſolitudinē

vt imolemus domino deo noſtro. Exo.iij. ad
ſignificandū ꝙ hec tria ſunt penitus dimitten
da quaſi tres dies mundi que lucent vniuerſo
oꝛbi. Quarto debet conuertere amaritudineʒ
ſue crucis et paſſionis in oblectamentū. ⁊ hoc
figuratum fuit in filijs iſrael qui venerunt in
marath ad potum amariſſimum quem cuʒ pꝛe
amaritudine ſumere non poſſent. iuſſit deus il
luc mittere lignum et conuerſe ſunt aque ī dul=
cedinem. Exo.xv. Sic ⁊ tu ſi angariaris in pe
nitentia ⁊ abſtinentia ⁊ bonoꝛum operum fre=
quentia mitte lignum crucis in memoꝛiam tuā
et ſtatim reuertentur tibi in dulcedinem. Nam
vbi crux xp̄i ibi et xp̄s. quia ipſe eſt vera crux
viuens et pꝛecioſa quam adoꝛamus quam de=
ſideramus in qua ſatiamur. vnde Aug⁹ li. ſol.
c.xij. Hoc inquit ſcio domine deus meus vbi=
cunqꝫ ſum ſine te malum mihi eſt pꝛeter te non
ſolum extra me ſed in me. Et omnis copia que
deus meus nō eſt egeſtas mihi eſt. ſatiaboꝛ cū
apparuerit gloꝛia tua. Quarto q̇dam nec mā=
ducant ſacramentaliter nec ſpūaliter. vt q̇ nec
rem nec ſacramentum accipiūt. vt ſunt quidā
ſacerdotes qui nunꝙ̄ vel raro celebꝛant. vel
hoc ſacramentuʒ manducant. nec ſe ad hoc vt
ſpūaliter manducent p̄parant. ⁊ dicunt ꝙ poſ
ſunt ſe licite abſtinere a ſacramēti celebꝛatiōe
Contra quos dicit Merkelinus ī tractatu de
inſtructione ſimplicium ſacerdotuʒ. c.xcv. Si
ſacerdos legitimum impedimentū non habēs
poſſet licite a celebꝛatione miſſe abſtinere. tūc
ſacerdos q̄tumcūqꝫ ſanctus poſſet ſemꝑ a ce=
lebꝛatione abſtinere. cum non ſit maioꝛ ratio
quare ſacerdos nō impeditus rationabiliter
poſſet ꝓ vna die abſtinere q̄ ꝓ alijs. et quia nō
poteſt licite ſemꝑ abſtinere. videt̄ ꝙ ſacerdos
non rationabiliter impedit⁹ nō p̄t ſine culpa
a celebꝛatiōe miſſe abſtinere. Quia dic̄ Greg⁹
in omel. Cū creſcunt dona creſcūt et rationes
donoꝝ. Et cum ſacerdoti donum nobiliſſimū
ſit a deo datum videlicet ptās conſecrandi pa
nem in coꝛp⁹ et vinū in ſanguinē domini noſtri
ieſu chꝛiſti merito negligētie reus erit. Si iſta
non vtitur poteſtate ad honoꝛē dei ſalutēqꝫ ſu
am et alioꝛum viuoꝝ atqꝫ moꝛtuoꝛum vtilita=
tem. ſm illud. j. Pet. iiij. Unuſquiſqꝫ ſicut acci
pit gratiā ſcʒ a domino liberaliter in alterutꝝ
illā adminiſtrantes ſcʒ alijs cōmunicādo gra=
tis ſicut boni diſpenſatoꝛes. Ex quo patet ꝙ
male dicunt qui excuſant ſacerdotē a peccato
q̇ ſine rationabili impedimento dimittit miſſe
celebꝛationē vbi populū habeat ſibi ſubiectuʒ
⁊ cōmiſſum vel ex obedientia tenetur celebꝛa=
re. cuʒ iuxta illud Mat. xxvj. et Luc. xx. Hoc
facite in meaʒ cōmemoꝛationē. p̄cipitur ſacer

dotib⁹ celebꝛare ſi non habuerint rationabilē
impedimentū. vt q̇dā magni doc. tradiderūt.
Sed cōtra hoc quidā ſic arguunt. Sacerdos
accipit a xp̄o maximaʒ poteſtatē videlicet ab=
ſoluēdi. Matth. xvj. ⁊ Joh. xx. Similiter ba=
ptiʒandi. Marc. vlt. ⁊ populū docendo a qui
bus p̄t licite abſtinere. Si nō tenetur ex obe=
dientia vel ratione beneficij. ergo celebꝛare p̄t
etiā ſine culpa et licite abſtinere a celebꝛatio=
ne. Pꝛeterea in vitaſpa. legitur ꝙ quidam ſan
ctus pater in ſacerdotē oꝛdinatus nunꝙ̄ cele=
bꝛauit. Siliter apoſtoli raro legūtur celebꝛaſ=
ſe. ergo a ſimili videtur ꝙ ſacerdos quādo vo
luerit poteſt licite a celebꝛatiōe abſtinere. Ad
p̄mum dicitur ꝙ non eſt ſimile de alijs actib⁹
pꝛo quibus exercendis ſacerdos a deo recipit
poteſtatem et de celebꝛatione. Naʒ alij actus
ſicut eſt baptiʒare abſoluere docere ſic ꝑtinēt
ad coꝛpus myſticū ꝙ ſi ſacerdos non tenetur
ad eos exercendos vel ex p̄latura vl̄ ex obedi=
entia poteſt ab illis actibus licite abſtinere ni=
ſi ī neceſſitate. quia tūc obligaretur baptiʒare
ſoluere et docere euchariſtiāqꝫ miniſtrare niſi
aliq̇s iſtoꝝ ab eccleſia eſſet interdictus. ſicut
religioſis mendicātibus p̄cipitur ne ſine licen
tia curati ſacramētum alicui cōferre p̄ſumunt
vt in clemen. de p̄uil. et exceſ. p̄uilegiatoꝛum.
Religioſi qui clericis vel laicis ſacramentum
vnctionis extreme ⁊ euchariſtie miniſtrare vl̄
matrimonia ſolēniʒare p̄ſumpſerint excōmuni
cationis incurrāt ſententiā ipſo facto dūtaxat
per ſedem ap̄licam abſoluēdi. hec ibi. Celebꝛa
re v̄o ideo tenetur ſacerdos vt deo ſacrificiuʒ
reddat etiam ſi nulli hominū teneatur. Ad ſe=
cūdum de illo patre ſancto qui nunꝙ̄ celebꝛa=
uit dr̄ ꝙ hoc fecit ex ſingulari inſtinctu ſpūſſan
cti. ⁊ ideo celebꝛare non debuit. quia dicit Ur
banus papa. Qui lege p̄uata ducitur nulla ra=
tio exigit vt a publica lege cōſtringatur. xix. q
ij. c. Due. Et dr̄ ibidē ꝙ lex p̄uata eſt q̇ inſtin=
ctu ſpūſſancti in coꝛde ſcribitur. Et ꝑ hoc p̄t
reſponderi ad illud de apoſtolis ꝙ nūꝙ̄ obmi
ſerunt celebꝛare niſi rationabiliter impediti ⁊
ex ſpūſſancti inſtinctu ſpeciali. In p̄mitiua eni
eccl̄ia raro miſſe celebꝛabāt̄ qꝛ apoſtoli inſtin=
ctu ſpūſſancti magis circa doctrinam fidei et
conuerſionē infidelium q̄ circa celebꝛationeʒ
miſſarum inſiſtebāt. Sed poſtq̄ per doctrinā
fidei fideles fuerant inſtructi tanta fuit deuo=
tio fidelium ꝙ omni die ſacramētū acceperūt
de manibus apoſtoloꝝ vel alioꝝ deuotoꝝ ſa
cerdotum. Quia apoſtoli p̄us populum doce
bant et baptiʒabant. et ſic hoſtiam ſalutarem
offerebāt et populo miniſtrabant. Sicut factū
legitur Act. ij. Ipſo die pente. quando multi

receperunt ſermonem ſancti Petri apoſtoli. et
baptizati ſunt et numero fidelium ſunt appoſi=
ti circiter tria milia hominum. Et poſt hoc erãt
perſeuerantes in doctrina apoſtolorum ⁊ com
municatione fractionis panis. Quod exponit
magiſter hiſ. dupliciter. Uno modo de cõmuni=
catione fractionis panis quotidiani quia ſingu
lis diebus ab apoſtolis frangebatur. nihil enĩ
habebant proprium. Sed predia vendebant et
poſuerunt precia ante pedes apoſtolorum q̃ ſin
gulis diebus mane aſcendebant in templũ ad
orationem poſtea redeuntes ſinguli panem di=
ſtribuebant prout opus erat. Alio modo expo
nit de cõmunicatione fractionis panis euchari
ſtie quia in primitiua eccleſia crebro vnanimit̃
conueniebant ad ꝑcipiendam eucharistiam. et
ille modus ſeruabat̃ adhuc tempore Anacleti
pape qui fuit quartus poſt beatum Petrũ. qui
ait. Peracta conſecratione omnes cõmunicẽt
qui nolunt eccleſiaſticis carere liminibus. Sic
enim ⁊ apoſtoli docuerunt et ſancta romana ec
cleſia tenet de conſe. diſt. ij. c. Peracta. Ex iam
dictis colligitur ⁊ arguitur etiã negligẽtia quo=
rundam laicorum qui nunq̃ vel ſaltem ſemel in
anno ex mandato eccleſie nõ ſumunt hoc vene=
rabile ſacramentum ne eccl'iaſtica careãt ſepul=
tura. extra de pe. ⁊ remiſ. Omnis. Et iſti time
re habẽt iſtud verbũ dominicũ. Niſi mãducaue
ritis carnẽ filij hominis ⁊ biberitis eius ſangui
nem non habebitis vitam in vobis. Joh. vj.
⁊ hoc intellige. niſi ſtatuto tempore manducẽt
carnem filij hominis ⁊ bibant eius ſanguinem
nõ ſub ꝓprio ſigno ſed ſub ſpeciebꝰ panis ſub q̃
bus eſt verum corpus chriſti ⁊ ſanguis verꝰ. q̃
innuit ſacerdos cum porrigit euchariſtiam ſub
vna ſpecie ſcʒ panis ſm̃ ſanctũ Tho. Corpus
⁊ ſanguis dñi noſtri ieſu chriſti ꝓficiat tibi in vi
tam eternã. Et idẽ dicit q̃ laicis debet dare ſim
plex vinum nõ conſecratũ vel aqua pro ablutio
ne non tamen propter myſterium aliquod. ſʒ vt
lauentur ora ſumentium ne remaneãt alique re=
liquie euchariſtie infra dentes. Et dans tale vi=
num poteſt dicere. In nomine domini noſtri ie=
ſu chriſti amen. Et dico notanter. niſi mãducẽt
tempore ſtatuto. quia poteſt quilibet laicus int̃=
dum a communiõe ad tempus abſtinere. Quia
dicit Tho. de argen. in compen. theo. ve. li. vj.
Quod abſtinent quidã ꝓpter culpam ꝓpriã. ⁊
aliqui ſine culpa mortali. Sed ꝓpter ſacramẽti
reuerentiã. ſicut qui ſe ſentiunt minus mundos
mente vel carne vel etiam deuotos ⁊ iſti benefa
ciunt dũmodo poſſent iuſte ⁊ ſine ſcandalo alio
rum ſuperſedere. vnde vbi non inſtat neceſſitas
conſulendum eſt talibus vt de cõmunione expe
ctent quouſq̃ parati et deuoti ac circumſpecti

poſſint accedere. nulla tamen neceſſitas debet
compellere vt quis in pctõ mortali cõmunicet.
hec ille. Sed nota q̃ illa verba ſuperius allega
ta. niſi manducaueritis carnẽ filij hominis ⁊c̃
ſunt ſpiritualiter itelligenda. ideo Hugo poſtil=
lator ſup Joh. ſic exponit. Niſi manducaueritis
carnem filij hominis ⁊c̃. id eſt. niſi vniti fueritis
per charitatem filio dei. qui eſt filiꝰ hominis. ſ.
marie. non habebitis vitam in vobis. quia mẽ=
bra ſepata a corpore non poſſunt viuere. Et ſic
hanc autoritatem expreſſe doctores ſuper. iiij.
ſententiarũ. di. ix. generaliter ad ſenſum predi=
ctum exponunt. Sed econtra quidam heretici Z
pernitioſi verba hec litteraliter accipientes di=
xerunt neceſſe fore populum laicalem ſub dupli
ci ſpecie cõmunicari debere. qḋ tamen nõ ẽ ne=
ceſſe. Et talis cõmunicatio laicalis ſub duplici
ſpecie illicita eſt. Sicut probat̃. quia eſt contra
ſcripturam figuram ⁊ naturam. Quod enim eſt
contra ſcripturã probat̃ Joh. vj. vbi dñs dicit.
Hic eſt panis de celo deſcendẽs vt ſi quis ex ip
ſo mãducauerit nõ moriat̃. Ego ſuʒ panis viuꝰ
qui de celo deſcendi. ſi quis manducauerit ex
hoc pane viuet in eternum. Et iterum. Panis
quem ego dabo caro mea ẽ pro mundi vita. Ec
ce facit ſolum mentionem de pane dans intelli=
gere manducationẽ ſufficere ſub vna ſpecie tm̃
pro vita eterna capeſcenda. Et Luc. xv. legitur
q̃ pater occidit filio perdito ⁊ reinuento vitulũ
ſaginatum per quem chriſtus intelligitur ꝓpter
gratie pinguedinem vbi nulla fit mentio de bibi
tione. Quod autem eſt contra figuram dic̃ ma=
giſter in. iiij. di. viij. c. j. q̃ quattuor ſunt figure
euchariſtiam figurantes ſcʒ ſacrificium melchi
ſedech. agnus paſcalis. mãna. ſanguis. ⁊ aqua.
que de latere chriſti fluxerunt. Quo ad ſacrifici
um melchiſedech dicit. huius ſacramenti ritum
melchiſedech ꝯſignauit vbi panẽ ⁊ vinũ Abrae
obtulit. Gen̄. xiiij. Ubi innuit̃ q̃ ſolum ſacrificã
tes debent ſub duplici ſpecie euchariſtiam per=
cipere. quia dicit Amb. ſup illud Matth. xxvj.
Accipite ⁊ comedite chriſtus ſuis diſcipulis ob
tulit in cena. quod melchiſedech repreſentauit
in figura. ideo dicit Alexander de halis in ſcri=
pto ſuo ſuper Joh. Quod ſolus ſacerdos com=
municat corpore ⁊ ſanguine. reliqui vero nõ cõ
ſecrantes tm̃ corpore. Sacerdotes aũt nõ con=
ſecrantes debent communicari ſub vna tantũ
ſpecie ⁊ debet humiliter quilibet petere. j. Reg.
ij. Dimitte me obſecro ad vnam partẽ ſacerdo
talem vt comedam buccellam panis. Sic beatꝰ
Hiero. ſacramentum euchariſtie ſub ſpecie pa=
nis tantũ accepit. vt dicit Euſebius. Sic etiam
ipſe Euſebius accepit in extremis. vt de eo ſcri=
bit Cyrillus in epiſtola ad Aug. hoc mõ cõmu=

nicauit beatum Aug̃.de manibus honorij epi=
ſcopi. Sic etiã dicit̃ de immolatiõe agni paſca=
lis. Exod.xij. vbi nulla mentio fit de potatione
Sic ⁊ de manna. Exod.xvj. Qꝺ aũt eſt contra
naturam ꝓbatur. quia reperiunt̃ aliqui homi=
nes qui ex natura nõ poſſunt bibere vinum vel
etiam odorare. ⁊ per conſequẽs etiã nec ſub ſpe
ciebus vini cõicare. ideo dic̃ Alexander de ba=
lis. in. iiij. ꝑte ſue ſumme. Quia chriſtus integre
accipitur ſub vtraqꝫ ſpecie ſufficit chriſtũ ſume=
re ſub ſpecie panis tm̃. Sed d.a.tñ videt̃ ꝙ fide
les nõ debẽt ſumere corp⁹ chriſti ſine ſanguine
Quia dicit Gelaſius papa. de ꝯſe.di.ij.c. Com
perimus. ꝙ quidam ſumpta tantũmodo corpo
ris ſacri portione a calice ſacrati cruoris abſti=
nent q̃ ꝑcul dubio neſcio qua ſupſtitione docẽ=
tur aſtringi aut integra ſacramẽta ꝑcipi. aut ab
integris arceant̃. quia diuiſio vnius eiuſdemqꝫ
myſterij ſine grandi ſacrilegio nõ põt ꝑuenire.
rñdet̃ ꝙ ille canon loquit̃ de cõficiẽte ſcꝫ ſacer=
dote. q̃ ſi conficeret ⁊ ſanguinẽ nõ ſumeret a cõ
munione ꝑ integrum annũ repelleret̃ ſm rigo=
rem iuri. Aliter rñdet̃ ſm ſanctũ Tho. ꝑte vlt̃.
q.lxxx. art̃. xij. ꝙ circa vſuꝫ ſacramẽti duo poſ
ſunt ꝯſiderari. vnũ ex ꝑte ipſi⁹ ſacramenti. ali=
ud ex ꝑte ſumentium. Ex ꝑte quidẽ ſacramenti
conuenit ꝙ vtrũqꝫ ſumat̃ videlicet corpus ⁊ ſan
guis. q: in vtroqꝫ conſiſtit ꝑfectio ſacramenti.
⁊ ideo quia ad ſacerdotem pertinet hoc ꝯſecra=
re ſacramentũ ⁊ ꝑficere. nullo modo debet cor
pus chriſti ſumere ſine ſanguine. Ex ꝑte aũt ſu=
mentiũ requirit̃ ſumme reuerentia ⁊ cautela ne
aliq̃d accidat qꝺ vergat ĩ iniuriã tanti myſterij
qꝺ p̃cipue poſſet accidere in ſanguinis ſumptio
ne q̃ dũ incaute ſumeret̃ de facili poſſet effudi.
Et quia creſcente multitudine populi chriſtiani
in qua continent̃ ſenes ⁊ iuuenes quorũ q̃dam
non ſunt tante diſcretiõis vt cautelam debitam
circa vſum hui⁹ ſacramẽti adhiberẽt. ideo ꝓui=
de obſeruat̃ vt populo laicali ſanguis nõ detur
ſumendus. ſed ſolũ a ſacerdote ſumat̃. Sed d.
aliq̃s. nunq̃d ſalubre ſit quotidie celebrandum
vel cõicandũ? omiſſis ergo argumẽtis dic̃ Bo=
nauen. in p̃ncipali. ij.q.ij. Si aliq̃s videat ſe eẽ
in ſtatu p̃mitiue eccl̃ie laudandũ eſt quotidie ce
lebrare ⁊ cõicare. Si aũt in ſtatu finalis eccl̃ie
vt pute frigidus ⁊ tardus cõſulendum eſt vt ra
ro. Si autem medio modo ſe habet debet ſe ha
bere medio modo. ⁊ aliquando debet ceſſare vt
diſcat reuereri ⁊ aliq̃n accedere vt inflãmetur ĩ
amore. quia tali hoſpiti debetur honor ⁊ amor
Et ſubdit. Omnes rationes que vident̃ ſonare
ad quotidianam cõmunionẽ itelligunt̃ ſalua p̃=
paratione que in paucíſſimis eſt vt ſemper. vñ
credo ꝙ maiorem efficaciam recipit hõ in vna
miſſa vel cõmuniõe cũ bona p̃paratiõe ꝙ̃ ĩ mul=
tis ſi nõ p̃pararet ſe diligent̃. Et ſubdit. Vterqꝫ
eni dabit gloriam deo. ⁊ q̃ manducat cum reue
rentia ⁊ qui ex reuerentia dimittit.

Dominica prima poſt feſtum ſancte trinitatis. Sermo. j.

HOmo quidã
erat diues qui induebat̃ purpu
ra ⁊ byſſo ⁊ epulabatur quoti=
die ſplendide. Ita ſcribit̃ Luc̃. xvj. Narrat Ful
gentius et Homerus in ſcrutillario poetarum A
ꝙ ſtatus diuitiaruꝫ depingebatur vt mulier va
ga coronam habens in capite oculis velata ſce
ptrum regale tenens in manu pauonem habẽs
veſtimentis varijs induta ſedens in curru queꝫ
trahebant quattuor leones. Moraliter per pri
mum ſcꝫ mulierem vagam diuitiarum fortune ĩ
ſtabilitas deſignatur. quia ſicut mulier incon=
ſtans multos habet amatores. quos tamẽ non
diu amat. Sic diuitie nunc vni cito alteri coniũ
guntur. et tamẽ in fine vtrũqꝫ derelinquũt. ideo
dicit Ariſto. viij. Ethi. Quanto maior fortuna
tanto minus ſecura. Et Egeſippus dicit. poete
fortunam in cauda ſerpentis locauerunt tanq̃
per hoc intendentes demonſtrare ꝙ fortuna in
fine veneno ſo acumine ledit. quos prius in vi=
ta tam dulciter delectabatur. Per ſecundum
ſcꝫ coronã in capite. datur intelligi ꝙ diuites
volunt honorari. Iuxta illud Phil̃. iiij. ethico.
Potentatus ⁊ diuitie propter honorem dele=
ctabilia ſunt habentes etiam ipſa honorari vo=
lunt propter ipſa. Per tertium vero ꝙ erat ocu
lis velata innuitur ꝙ omnis diues auarus cec⁹
eſt nõ p̃uidens mala que ſibi iminent. ⁊ hec ceci
tas figurata eſt in cecitate ceci nati. Ioh. ix. q:
dñs volens illuminare eũ liniuit oculos ei⁹ luto
inſinuãs eſſe cauſam cecitatis illi⁹ lutũ iſtorum
tẽporaliũ. de hac cecitate legit̃ Tob. ij. ꝙ To=
bias fuit excecatus ſtercorib⁹ hirundinuꝫ cali=
dis que ſup oculos ei⁹ ceciderũt. Hirundo eni
garrula ⁊ depicta felicitatem deſignat hui⁹ mũ=
di que eſt quedaꝫ pulchritudo depicta ⁊ tumul
tuoſa que calida ſtercora proijcit ſuper oculos
cordis. id eſt. temporalia iſta vt deum non vide
ant. quia dicit glo. ſuper illo verbo pſ̃. v. Ma=
ne aſtabo tibi ⁊ videbo. deum non videt q̃ tem=
poralibus adheret. Per quartum vero ꝙ ſce=
ptrũ tenet in manu. figuratur ꝙ diuitijs obedi=
unt omnia ſicut ⁊ regi ſceptrum tenenti. Iuxta
illud Eccl̃s. x. Pecunie obediũt omnia. Per q̃n
tum ꝙ pauonem habet in manu qui dum cau=
dam eleuat anteriora ornat ⁊ poſteriora detur